

Hermann Schuckmann Henricus Dethardingius

## **Collegii Theologici Disputatio Decima Sexta Et Ultima De Novissimis**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738371122>

Druck Freier  Zugang




R. u. Nicol 1649

Schückmann, Remantk

Vat. Scharding, Heinich

XVI







COLLEGII THEOLOGICI  
DISPUTATIO DECIMA SEXTA  
ET ULTIMA

DE

NOVISSIMIS,

*Quam*

Σὺν Θεῷ, præsuppositis Ampliſſimæ Facultatis The-  
ologicæ in incluta Roſarum Academiâ concordi-  
bus ſuffragiis

*ſub*

PRÆSIDIO  
VIRI

*Admodum Reverendi, Excellentiſſimi, & Clariſſimi*

DN. HERMANNI SCHUCK-  
MANNI, SS. Theol. Doct̄oris & Professo-  
ris Publ. ejusdemquē facultatis p. t. Decani Spe-  
ctabilis, Præceptoris, Fautoris, & Promo-  
toris ſui debitâ obſervantiâ & amore  
devererandi

*Libratori Eruditorum rationis discerniculo publicè  
ventilandam in ἀγορῆς majori, die 6. Junij  
exhibebit & defendet*

HENRICUS DE THARDINGIUS  
Eiderſtada-Hoſſatus.

✽(o)✽



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Ac. Typ. Anno 1649



COLLEGI THEOLOGICI  
DISPUTATIO DECIMA SEXTA  
ET ULTIMA

NOVISSIMIS


de praesuppositis Antiquissimae Scholae Theologicae in Universitate Rostochensi concordantibus suffragiis

PARADOXO  
VIRI

Henrici de Tharandini  
M. ANNI, 25. Septembris, Doctoris & Professoris  
in Facultate Philosophicae & Mathematicae  
Stabilis Praeceptoris, Factoris & Promotoris  
Universitatis Rostochensis

Henrici de Tharandini  
Rostochensis

HENRICI DE THARANDINI



ROSTOCHENSIS

Typi Nicolai Kellii, Anno 1710



DISPUTATIO XVI. ET ULTIMA.  
DE MORTE & DIE NOVISSIMO. RESP.

§. I.

HENRICO



Consideratione viæ, quâ ad terminum **DE** HAR-  
pervenitur, hucusq; in præcedd. expeditâ; dispici- **D I N G I O,**  
endum nunc est de ipso scopo seu Termino; qui est **Eidersta-**  
**Vita æterna,** ex beneficâ Dei voluntate & gratiâ, da- **Hol-**  
omnibus in Christum credentibus, & viâ Dei eâq; lato,  
angustâ incedentibus proposita; cui ex adverso, vi  
justi judicij divini, **Infernus,** opponitur, tanquam merces incredulitati &  
viæ iniquitatis debita. Fores, quæ ad utrumq; tametsi diversimodè, pan-  
duntur, sunt **Dies extremus,** isq; vel **Catholicus & universalis,** omnium,  
in fine seculi; vel **particularis,** durante mundo, **Mors** singulorum. Et hæc  
in genere dicuntur **Novissima,** eò quod ultimam eamq; evidentissimam  
status rerum, mutationem & verè quid singularis ac novi, quod ne-  
mo antè expertus est, quodq; intellectum & cogitationes cordis huma-  
ni maximam partem excedit, important.

§. 2. **MORS** (in origine מוֹת *Mavat*) pro opposito habet Vi-  
tam, eamq; vel naturalem vel spiritualem, in sacris dictam **צוֹהַן תַּיִם דַּעַי**  
**Eph. 4. v. 18.** quæ cui abest, ut ut naturaliter quis vivat, veriùs pro mortuo  
quam vivo habendus est. Hinc mors **Spiritualis** dicit separationem  
creaturæ intellectualis à Deo, summo bono, in specie à gratiâ, Spiritu  
S. & consequenter beatitudine verâ divinâ; vel quod ista in se compre-  
hendit, quodq; vocatur ipsa hominum vita **Joh. 6, 63. Deut. 32, 47.** ver-  
bo Domini; Adeoq; tollit mors hæc, unionem cum Deo, quæ consistit  
**עַי תַּיִם בְּרַבְרָה** in adhærendo ipsi, ceo qui est **יְיָ אֱלֹהֵינוּ**, vita tua,  
Israel, **Deut. 30. v. 20.** Principium & causa separationis hujus peccatum  
est, **Jes. 59. v. 2.** idq; propagatum per carnalem generationem, & in va-  
rios actus vitiosos (cum nullibi sit otiosum) subinde prorumpens: un-  
dè & omnes sumus naturâ filij iræ, utpote **νεκροὶ τοῖς ἁμαρτίαις**  
**καὶ τοῖς ἁμαρτίαις,** delictis & peccatis mortui **Eph. 2. v. 1, 3, 5.** ipsumq;  
peccatum consummatum gignit mortem, **Jac. 1, 15. vid. Diss. 5.** Incipit  
autem separatio ista in hæc vitâ, & quidem in irrogenitis, & iis, qui à co-  
gnitione veritatis deficiunt & fidei naufragium faciunt; atq; itâ in-  
omnia æternitatem (nisi intercedat reconciliatio cum Deo per fidem  
in Christo) cum horribili judicio sinè fine continuatur; sitq; adeò æter-

Q

na



na, *Joh. 8. 24, 51, 52.* & appellatur Mors secunda, *Apoc. 2. 11. c. 20, 14 c. 21, 8.* respectu resurrectionis primæ, *c. 20, 6.* quâ vivificamur cum Christo, surgentes hic à peccatis ( quibus mortui ante eramus, hoc est separati à Deo ) & surgendo, iisdem simul morientes, quod est ab alienari ab iniquitate, ad id, ne dominetur peccatum in mortali corpore, Germanicè *der Sünden absterben.* *Rom. 6. v. 2, 11, 12. 1. Pet. 2, 24.*

**S. 3.** Mors *natura* ( quam hoc loco potissimum spectamus ) est separatio animæ à corpore, sublatâ unione naturali. Consideratur hæc vel *cum plonâ amaritudine*, proveniente tum ex peccato in hærente, dominante, dampnante: quomodo non nisi irrogenitorum & finaliter incredulorum, reproborum est, qui à morte in mortem per mortem ruunt, & nunquam mori desinunt *Joh. 8. v. 24.* tum ex peccato imputato, ita Christus, sed *ἀναμάχητος*, *ἀκακῶς* *ἀμικτῶς*, debitam cui libet peccato accerbissimam mortem pro nobis unus sustinuit: tamen si cum ipso mortis termino, ( quod satisfactio requirebat ) omnis amaritudo finem habuit, vi vocis Christi: *Consummatum est;* *vid. Dissp. 12. S. 4.* vel *sinè amaritudine*: Estq; eorum qui sunt in Christo Jesu, ubi nihil est condemnationis. His igitur temporalis mors, fit janua seu transitus ad vitam *Joh. 11, v. 25, 26.* Et si in se spectata, naturæ corruptio est, tam in piis quam impiis, orta ex peccato, cujus radicem ipsi etiam sancti non nisi cum corpore deponunt, resurrecturi ad plenissimum de peccato & morte triumphum. *1. Cor. 15. v. 26, 54 seqq.* Vocatur aliàs somnus, tum à quiete, quam soli fideles hic inveniunt, liberati ab omnibus molestiis, quoad animam simul & corpus; amaritudine mortis per Christum in ipsis sublata. *1. Thess. 4. v. 13, 14.* tum respectu potentie divinæ resuscitatrix; *Matth. 9, 24. Joh. 11. v. 11, 12, 13, 14.*

**S. 4.** CAUSA mortis ut spiritualis, sic & corporalis, Peccatum est ( *vid. Dissp. 1. S. 6.* ) Probatur. 1. ex locis *1. Cor. 15, 56. Rom. 6, 23. c. 5, 12.* ubi *θάνατος* principaliter quidem notat separationem animæ à vitâ Dei, non tamen exclusâ morte corporis. Principium horum dictorum est edictum Dei, *Gen. 2, 17.* ubi geminatio, *תָּמוּת תָּמוּת* indicat certitudinem simul & asperitatem utriusq; corruptionis tam animæ quam corporis. Esse autem Protoplastos eodem die, quo peccarunt, mortuos morte spirituali, arguit sensus nuditatis pudendæ &c. *Gen. 3, 7, 8.* Sed Q. *de morte corporis.* R. Et hæc mortui sunt ipso die lapsus, respectu principij, non termini. Sic & omnis mortalium vita inde à nativitate carnali, ob *internum corruptionis principium*, iter est & progressus ad mortem, in-

actens



ferens continuam quandam absumptionem, usq; dum ipsa partium separatio, mors strictè dicta, sequatur. 2. ab oppositione imaginis divinæ, amissæ per peccatum, seu quod in locum illius successit. Et sicut per illam homo, incorruptibilis & immortalis, ita per hoc corruptus mortalisq; efficitur, vid. *Disp. 4.* Neq; verò peccatum duntaxat in ortu suo (prævaricatione primi hominis) sed & in propagatione, atq; hinc pendentibus inclinationibus, motibus & actibus vitiosis consideratum, in singulis Adami posteris (priori quidem modò remotè, posteriori proximè) mortem meretur & operatur, vi dictorum suprâ citatorum.

§. 5. Ex his porrò colligitur, quicquid causa peccati est, veluti Diabolus suggerens & ipse homo consentiens liberoq; arbitrio abutens, consequenter quoq; mortis causam esse. Deus verò consideratur hoc loco, non nisi ut justus iudex & vindex, mortem prævaricatoribus seu peccati decernens, eidemq; ubi & quando ipsi (vitæ ac mortis Domino) visum fuerit, quemlibet subiiciens, & quidem subtrahendo influxum potentiæ suæ, vi cuius vivimus, movemur & sumus *Act. 17. v. 28.* Quaritur autem hic, *an credentibus quoq; reconciliatum in cæli partem habentibus, & in fide Jesu Christi è mundo discedentibus, mors sit pœna peccati propriè dicta?* R. Pœna quædam est (sed non inflicta à iudice irato) in quantum dicit corruptionem & destructionem naturæ peccatis infectæ; non est pœna, quatenus subinfert transitum ad vitam meliorem: irâ enim lucrum potius est, quàm damnum, *Phil. 1. v. 21.* Sed Q. hinc ulterius: *Ergo è Christo pro omni peccati pœnâ satisfactum?* R. satisfecit Christus pro quavis pœnâ, spiritali ac æternâ, nec non pro stimulo, amaritudine & maledictione, quæ temporalibus adeoq; & ipsi morti corporis per peccatum insunt, & in fidelibus ex gratiâ cessant; tamen hi quoq; propter radicem & reliquias peccati, quæ ipsos in mortali tentorio circumstant, multas calamitates ipsamq; mortem subire necessum habent, ad id, ut exerceantur, probentur, eorûq; caro magis magisq; mortificetur & atteratur; usq; dum in cineres redigatur tandemq; aboleatur corpus peccati penitus; idq; vi meriti Christi, *1. Cor. 15.* ut irâ respectu termini & finis, quem in extremo die mors quoq; seu ultimus hostis, habitura est, rectè dicatur, satisfactum à Christo etiam pro corruptione & destructione corporis, ne videl. in æternum constringat & opprimat dormientes in Christo, atq; irâ morte Christi mortem nostram absorberi in victoriam, *d. l. v. 54.*

§. 6. SUBJECTUM QUOD, Homines sunt, eiq; peccatores

Q 2

Ebr. 9.



*Ebr. 9. v. 27.* & quidem omnes, quotquot vixerunt, vivunt & victuri sunt, cujuscunq; conditionis & ætatis *Rom. 8. v. 12, 14.* Undè nec infantes vel in ipso utero, eò quod in iniquitate concepti sunt *Pf. 51.* à morte immunes esse experientia docet. Nemo itaq; hinc excipitur, nisi Enoch & Elias, ceteri vivi in cælum translati, & qui ad novissimum diem superstites erunt in mundo; sed in his analogum quid morti statuet mutatio novissima: quomodo Enochum quoq; & Eliam mutatos fuisse, vel ex eo constat, quod caro & sanguis regnum Dei possidere nequeat. *1. Cor. 15. 50.* SUBJECTUM QUO est Corpus: hoc enim, privatur vitâ sibi ab anima, cujus proprium illa est, communicatâ. Queritur hic *de animâ humanâ.* & Hæc immortalis & incorruptibilis est, respectu annihilationis seu corruptionis & destructionis essentialis, *Matth. 10. v. 28.* tamen si post lapsum propter peccatum, morti spirituali, & nisi ab hæc per gratiam unius hominis Jesu fide liberetur, etiam æternæ quàm maximè subjacet, *vid. 1. 2.*

§. 7. Effectus mortis est status corporis & animæ mutatio in alium à priori diversum statum *Eccles. 12. v. 7.* Animæ status post mortem, ex unitâ cum corpore animâ separatâ, adeoq; ex informante corpus, non informantem actu, facit; habetq; pro termino paradysum & infernum. ( ille piorum est, hic impiorum ) de quibus infra. Esse autem duntaxat binos hosce status & loca, in quæ transferantur post mortem animæ à corporibus separatæ, evincunt, 1. expressa horum determinatio & immediata oppositio, *Lnc. 23, 43. 1. 16, 22, 23.* 2. Silentium Scripturæ in eo, quod alterius alicujus termini non meminit. Hinc figmenta sunt 1. Limbus patrum V. T. quia hi eadè gratiâ salvati sunt, quâ nos salvamur *Aff. 25, 11.* 2. Limbus infantum, fidelium, non baptizatorum; Hi enim cum extraordinariè à Deo salvantur, *vid. Disp. 10. §. 10.* non possunt non etiam pervenire ad unum unius salutis terminum. 3. Purgatorium, idq; (cum omnibus nundinationibus misticis pro mortuis) maximè injurium in meritum sanguinis Christi, seu qui plenè nos emundat ab omni peccato, *v. Job. 1. 7.* Q. *hoe loco 1. Ubinam fuerint anima hominum à Christo resuscitatorum, veluti Lazari, Job. 11. & aliorum?* & Fuerunt in Deo & ab eodem in suspenso quasi detentæ extrâ informationem corporis, ad manifestandam gloriam, miraculosis resuscitationibus demonstratam, divinam, (non fuerunt unitæ cum corporibus) Modum hinc non investigamus, sed potentiam Dei veneramur. II. Q. *an anima separatæ ju- storum felicitatem & gaudium vitæ æternæ, reprobatorum tormenta infer- nalia, reverâ ante novissimum diem sentiant & experiantur?* *Aff. secun- dum*



dum quid ex *Luc. 16. 27.* interim plenissimus sive mortis sive beatitudinis aeternae sensus reservatur in futurum iudicium ad unionem animae cum corpore, ante quam status beatarum mentium maximè per *ἐνώπιον καὶ ὡς ἐκλήθησαν* describitur, d. l. *Apo. 6. v. 11. Q. III. an animae separata obeant actiones spirituales, & cum primis electorum num cognoscant, adorent, celebrent Deum?* R. Fieri id ab animabus sanctis, (pro conditione ipsarum naturae, modo incomprehensibili) patet inter alia ex *Apocalypsi*, d. l. adde *e. 7. 8. & c. IV. Q. quid statuendum de lemuriis &c.?* R. non sunt animae vel corpora defunctorum, sed glaucomata & praestigiae Diaboli. Controvertitur porò circa statum animarum de invocatione sanctorum, demortuorum, quam improbandam esse, evincunt argumenta, invocationi quoq; Angelorum opposita, *Disq. 3. §. 16.* quibus accedit, quod pro invocandis illis nec mandatum, nec promissio, nec exemplum in sacris extat. Interim venerandi sunt sancti, imitatione fidei & operum bonorum, quibus claruerunt, ut *Φωστῆρες ἐν κέσματι*, *Phil. 2. v. 15.*

§. 8. Status corporis post mortem pro termino habet *ἄβυσσος*, pulverem, *Gen. 3. v. 19. Eccles. 12. v. 7.* Secus erat cum corpore Christi, quod essentiali vitâ Dei, vi unionis hypostaticae indissolubilis, non minus praedicum mansit in sepulchro, quam anima ipsius in paradiso, (ut ut sublimitate utriusq; unione naturali) Undè nec corruptionem videre, nec à vinculis mortis detineri potuit *Psal. 16. v. 10. Act. 2. v. 24.* Agendum hic de SEPULTURA, de qua notentur seqq. 1. In terram recondi cadavera mortuorum, conveniens est Scripturae & rationi, quam illa adducit *Gen. 3. v. 19.* ut ita principio in compositione respondeat terminus in resolutione: adde similitudinem de semente, ex *1. Cor. 15. v. 42, 43, 44.* 2. Honestam sepulturam deberi corporibus fidelium, quae templa fuerunt Sp. S. in spem futurae resurrectionis ad vitam, probant tum exempla Sanctorum, Abrahami, Jacobi, Iosephi, *Gen. 23. 47. 50.* tum in primis *Sepultura Christi*, seu capitis & redemptoris, omnia membrorum dormitoria suâ requie sanctificantis. 3. Lugendi sunt mortui, sed moderatè, ne vis fiat spei Christianae, *1. Thess. 4. v. 13. Q. hinc quid statuendum de Reliquiis Sanctorum?* R. Relinquendae hæ sunt terrae ut matri omnium. Eisdem vero ceu Sanctuarium asservare, ostentare, religiosè venerari, superstitiosum est. DE DIE NOVISSIMO.

§. 9. Mortis consequens est iudicium, *Ebr. 9. 27.* ipsamq; Doctrinam de fine singulorum excipit consideratio finis universi, vel DIEI

Q 3

NOVIS-



NOVISSIMI, de quo generalia quaedam præmittimus, I. Vocatur dies extremus, ἐξάτη ἡμέρα, Joh. 6. v. 39. &c. quia tempori juxta eum mundo, (quæ ceperunt ἄνωγος, in principio illo, de quo Gen. 1. v. 1.) clausulam hic unus imponit: in æternitate enim & extrâ mundum non datur tempus. Dicitur dies Judicii Matth. 10, 15. & quidem divini, universalis, extremi, ob sententiam ibidem dicendâ definitivam, ultimam, immutabilem: Dies Jesu Christi, ob gloriosissimam ipsius (Judicis) revelationem, 1. Cor. 1. v. 7, 8. Phil. 1. v. 10. &c. II. Certò futurum esse diem istum, evincunt testimonia Prophetica & Apostolica. Sic septimum ab Adamo Enochem vaticinatum de illo fuisse, docet Judas in Epistolâ v. 13, 14, 15. conf. Jes. 66. Malach. ultim. Cum quibus convenit Act. 17, 31. Sic ipse Christus diem adventus sui perspicuè describit Matth. 24. 25. Paulus quoq; certitudinem ejus, argumento justitiæ divinæ, retribuentis cuilibet quod meruerunt, deducit, 2. Thes. 1. v. 5, 6, 7. Seqq. Et Petrus eandem ex professo propugnat contrâ ἐμπόδιος 1. Petr. 3. v. 3. Seqq. III. Propinquitas extremi judicii cognoscibilis est ex signis, proximè antecessuris adventum Domini, juxta prophetiam Luc. 21. Interim IV. Certus, à Deo definitus, eiq; soli cognitus dies, quis ille futurus sit, omnem creaturam latet, Marc. 13. v. 32. Imò & ipse Christus ignoravit, (similis nobis per hoc etiam factus) in statu scil. exinanitionis suæ, ubi se inter alia 2. Cor. 12. divinæ omniscientiæ (non κτήσα) ad tempus evacuavit. V. Et si acta diei extremi, quæ subito consummabuntur, longiorem temporis tractum & moram excludent; ordine tamen, ejus auctor Deus est, omnia fient; de quo deinceps. Hic Q. I. Num antè interitum mundi, seu mundo adhuc existente futurum sit judicium? A. quia in nubibus apparebit Judex, Matth. 24, 30, 31. Act. 1. 11. & electi rapientur in occursum Domino in aëra, 1. Thess. 4, 17. II. Q. an post resurrectionem mortuorum potentia & gloria sanctorum, duratura sit in terris mille annos? N. Unus enim idemq; dies dictus est resurrectioni, mundi conflagrationi & universali judicio, ejusdemq; executioni celerrimæ sive ad vitam sive mortem. Objicitur locus Apoc. 20. v. 4, 5, 6. &c. R. Agit hic de resurrectione primâ & regno spirituali, in tempore cui postea subicitur Resurrectio & Judicium ultimum, v. 11, 12, 13, 14.

§. 10. ACTA diei novissimi sunt I. Adventus Judicis, ubi Persona adventura est Christus, Θεάνθρωπος (unus cum Patre & Spiritu S. Deus) qui gloriosus apparebit tum in se & assumptâ humanâ naturâ, in quâ  
omnem



omnem divinam majestatem, quam in statu exinanitionis secreto ha-  
 buit, *Phil. 2.* plene exhibebit, venturus cum virtute & gloria magna  
*Matth. 24, 30* tum in sanctis omnibus, seu corpore suo mystico, *1. Theff.*  
*1. v. 10.* quod manifestato Christo manifesta bitur cum eodem in gloria,  
*Col. 3. v. 4.* Hinc vocatur dies ultimus *ἡμέρα ἀποκαλύψεως κυρίου Ἰησοῦ*  
*κρίστου, καὶ δόξης αὐτοῦ, 2. Theff. 1. v. 7. 1. Petr. 4, 13.* Ad declarandam,  
 præterea hanc gloriam, facient 1. Comitatus myriadum Angelorum,  
 sanctorumq; beatorum, *Matth. 25, 31. 2. Theff. 1. v. 7.* Epist. *Jude v. 14.*  
 2. Media, quibus innotescet universo mundo adventus Judicis, quæ  
 erunt 1. κέλευσμα, seu clamor intensissimus totius militiae coelestis, velut  
 invadentium cum gaudio portum, & plenissimam victoriam proclaman-  
 tium, seq; invicem, ad triumphum communem & spectandam in hosli-  
 bus ultionem exhortantium & excitantium. 2. vox Archangeli, seu præ-  
 conis Christi. itemq; 3. tuba Dei, quæ qualis futura sit, Deus novit. Credi-  
 mus fore sonum divinum penetrantissimum, justis lætum, impiis terribi-  
 lem, *1. Theff. 4, 16. Matth. 24, 31.* Appellatur tuba novissima, *1. Cor. 15. v. 52.*  
 ad differentiam tubæ prioris, quæ verbum Dei est, *Jes. 58, 1. III.* Locus  
 (in quo comparebit Judex) nubes nempe coeli *Luc. 21, 27.* Quæ tanquam  
 vehiculum vel currus Dei describuntur in *Psalmi. IV.* Modus, qui expo-  
 nitur per descensum è coelo, *1. Theff. 4, 16.* Q. hic, an descensus iste futu-  
 rus sit localis? R. Erit nihil aliud nisi gloriosa manifestatio, inferens vi-  
 sibilem Christi præsentiam, quæ localem & successivam descensionem  
 corporis ejus è summo coelo in nubes non admittit. Ascendit enim  
 ipse (*ὑπερῶνω*) supra omnes coelos ut impletet omnia *Eph. 4.* Undè & o-  
 mnipræsens invisibiliter, tandem in unico individuo puncto, cum cor-  
 pore suo glorioso conspicuum & visibilem se dabit in nubibus coeli, ut  
 sicut in Ascensione à nube subductus, statim consedit à dextris Dei, in-  
 gressus invisibilem suam majestatem coelos coelorum exsuperantem, ità  
 ex eadem vicissim subito & improvise proditurus, visibiliter conspicia-  
 tur in nube, *Act. 1, 11.*

§. II. II. RESURRECTIO MORTUORUM, (*ἀνάστασις*  
*νεκρῶν*) cujus veritatem & certitudinem evincit Paulus, *1. Cor. 15.* dispu-  
 tans adversus contradicentes tum ex hypothesi, tum directe & *νεκρὶ ἀ-*  
*λήθειαν.* Et Christus eandem propugnat contra Sadducæos, *Matth. 22,*  
*29. seqq.* positus duobus fundamentis, manus sibi invicem porrigenti-  
 bus, Scripturis nimirum & potentia Dei. adde vaticinia V. T. cum primis  
*Dan. 12, 1, 2, &c.* Sumitur autem Resurrectio vel generaliter pro redu-  
 ctione



atione omnium tam justorum, quam impiorum *Joh. 5. 29.* vel speciali-  
ter pro reedificatione seu elevatione corporum fidelium ad vitam, *1. Theff. 4. 16.* cujus respectu resurrectio damnatorum depresso verius ad  
graviolem ruinam, quam resurrectio est, siquidem non resurgent &  
consistent (ⲓⲓⲡⲓ ⲛⲓ) impii in congregatione justorum *Psal. 1. 6.*

§. 12. *Causa efficiens* resurrectionis est verus Deus, ipsaq; resuscita-  
tio est opus Solius Dei, requirens virtutem merè divinam, omnium crea-  
turarum vires excedentem, *2. Cor. 1. 9. Rom. 4. 17.* Undè etiam ex hoc  
opere cognosci vult Deus, quod ipse sit ⲓⲓⲡⲓ *Ezech. 37. v. 12, 13.* ubi no-  
tandum; à resurrectione primà spirituali rectè duci argumentum ad re-  
surrectionem corporū futuram in die novissimo; cum unius ejusdemq;  
virtutis sit tam hæc, quam illa, *Phil. 3. v. 21.* Sic tribuitur opus resuscita-  
tionis Deo Patri, *1. Theff. 4. 14. 2. Cor. 4. 14.* Filio *Joh. 5. 21. c. 6. 39.* Spi-  
ritui *S. Rom. 8. 11. conf. Ezech. 37. v. 14.* Estq; hîc Patris, Filii & Spiritus S.  
una, communis & indivisa actio. Hæc autem potentia divina resu-  
scitatric, per unionem hypostaticam, communicata est homini Chri-  
sto (cui similiter ἐξουσία judicium faciendi data est) *Joh. 5. v. 26, 27, 28,*  
*29. Phil. 3. 21.* Et ex hæc virtute corpus suum quâ vitam naturalem verè  
mortuum, ipse vicissim tertio die vivificavit & excitavit *Joh. 2. v. 19. c. 10.*  
*v. 18.* Idemq; resuscitabit mortuos omnes; cujus documentum præbent  
miracula in diebus carnis edita, *vid. Joh. 11.* Exseret autem virtutem hanc  
per suam ipsius vocem, tubamq; Dei, velut proximam & immediatam re-  
surrectionis causam, *Joh. 5. 28. 1. Cor. 15. 52. 1. Theff. 4. 16.*

§. 13. *Fundamentum* resurrectionis mortuorum est Resurrectio  
Christi, *1. Theff. 4. 14. 1. Cor. 15. v. 12, 21.* Sed hîc Q. I. an à Christi re-  
surrectione non modò piorum sed & impiorum resurrectio pendeat? Asser-  
tio 1. ἀνάστασις τῆ ἐνδὸς ἀνθρώπων χριστοῦ rectè urgetur pro argumento,  
contrà negantes possibilitatem resurrectionis. 2. Potentia Christi resur-  
gentis, victoris, futuræ ad novissimam buccinam resuscitationis non  
solum electorum sed & reproborum principium est. Interim 3. Sancti  
(qui partem habent in resurrectione primà, σὺμφωνοὶ τῷ ὁμοιωματι  
τῆ θανάτου καὶ ἀναστάσεως χριστοῦ, *Rom. 6. v. 4. 5.*) soli gaudebunt sa-  
lutari virtute & fructu resurrectionis Christi, resurrecturi viejusdem  
ad vitam æternam. Sed & 4. resurrectio infidelium ex justo Dei judicio  
ad mortem destinata, nequiter rejecti meriti resurrectionis Christi, velut  
universaliter ad beatam omnia hominum vivificationem & repara-  
tionem



tionem ex se sufficientis, perspicua demonstratio erit. II. *Q. quomodo resurrectio Christi fundamentum sit resurrectionis (sanctorum)?* R. Habet se 1. tanquam causa meritoria: Est enim Christus Salvator omnium hominum, maxime credentium; idq; ad ἀπολύτωσησιν non tantum animæ, sed & corporis. 2. tanquam virtus capitis, influens in totum corpus & omnia ejus membra, ut ita quod in capite præcessit, non possit non sequi in membris, per spiritum inhabitantem & unientem hæc cum illo. Rom. 8. Unde etiam (quæ Jobi & omnium piorum fides est) *—* 1. vindex, redemptor noster, isq; consanguineus & frater, stabit ultimus super pulverem, h. e. usq; ad extremum diem, velut custos, defensor, assertor, ne minimo etiam pulvisculo suorum deerit, donec in plenissimam libertatem vindicaverit & asseruerit omnes. Job. 19, 25.

S. 14. *Subjectum QUOD*, sunt omnes homines sed mortui. Excipiuntur itaq; ex sanctis dormientibus illi, qui jam antè cum Christo resurrexerunt, Matth. 27, 52, 53. Hi enim procul dubio, sicut cum Christo postea ascenderunt, ita cum eodem redibunt. *Subiectum QUO*, sunt corpora hominum, quæ ex quibusvis pulvisculis divinâ virtute vicissim coalescentibus, redintegrata & reedificata, cumq; animabus suis per mortem separatis unita, prodibunt 1. Cor. 15, 44. &c. Hic Q. 1. de substantiâ corporum resuscitatorum, *an sint eadem numero reditura?* Aff. Job. 19, 26, 27. quia justum est apud Deum, ut quod conforme fuit Christo in cruce, idem illi conforme sit in gloriâ: contra quod fuit servum injustitiæ, poenæ quoq; eidem debita obnoxium fiat. 2. de quantitate, *utrum resuscitatorum omnium equalis sit futura statura?* R. Credibile est eadem corporis proportione quemlibet resurrecturum, quâ cecidit; sed citrà ullam (electorum) imperfectionem, ut ita glorificetur Deus in magnis simul & parvis, pro admirandâ varietate. Apoc. 20. v. 12. 3. de qualitatibus, *secundum quas mutatio vel transfiguratio fiet, ubi quæstio est; Quenam his piorum & reproborum differentia statuenda?* R. Damnatorum corpora solam obtinebunt incorruptibilitatem, annihilationi substantiæ oppositam, sed cum spirituali atq; æternâ morte conjunctam, ut sit perpetuum æterni ignis & vermis subjectum. Corpora verò sanctorum præter omnimodam immortalitatem, eminentissimis perfectionibus donabuntur, veluti gloriâ (ad quam pertinet lux, claritas &c.) item robore, spiritualitate, (cui inerit summa subtilitas) 1. Cor. 15, 42, 43, 44. Breviter. Electi erunt ἰσὶς γέλοι, & corpora eorum conformia (quod ma-

R

juo



jun est) glorioso corpori Christi. *Luc. 20, 36. Phil. 3, 21.* His premisse  
**Q.** in specie, 1. *an discrimen factum in resurrectione sit futurum?* Aff. sed sine  
 animalitate, carnali affectu & conjugiali consortio. *Matth. 22, 2.* *num*  
*embryones in utero extincti & parentum monstrosi sint resurrecturi?* A. si vi-  
 del, antè vixerunt & homines fuerunt. omnes n. in Adamo mortui, in  
 Christo vivificabuntur. *1. Cor. 15, v. 21, 22. 3. utrum resuscitati spiritua-*  
*lem habituri sint essentiam, b. e. non constansem carue, osibus &c.* N. ab  
 exemplo corporis Christi, *Luc. 24, 39*

**§. 15.** *Forma resurrectionis consistit in corporum demortuorum a-*  
*deoq; destructorum readificatione, eorundem per unionem cum ani-*  
*mabus vivificatione, totiusq; hominis secundum qualitates mutati exhi-*  
*bitione.* Resurrectionem hanc mortuorum sequetur (analogà eidem)  
*Immutatio vivorum superstitum, 1. Cor. 15, 51, 52. 1. Thes. 4, v. 16, 17.* quà si-  
 militer corruptibile induet incorruptibilitatem &c. vi omnipotentia  
 divina, modo nobis incomprehensibili.

**§. 16. III. JUDICIUM EXTREMUM;** quod certò ventu-  
 rum esse, præter hominum conscientiam & rationem à justitiâ Dei de-  
 ductam, probant expressa Scripturæ dicta, v. g. *Act. 17, 31. Mal. 4, v. 1, 5.*  
 (& passim in sacris.) Ubi nota 1. *Judicium novissimum significari per*  
*דְּיִמְיָהּ הַיּוֹם הַזֶּה* diem Domini magnum & venerabilem (im-  
 piis terribilem) quomodo & *ἡμέρα κείων* notat, *1. Cor. 4, 3.* 2. *Diem*  
*seu adventum Christi primum acutissimè connecti cum ultimo, & u-*  
*trumq; quasi pro uno eodemq; à Spiritu prophetico poni, e. g. Mal. 3,*  
*1, 2, 3. Jes. 40, 10. &c.* ut doceatur, alterum alterius fundamentum esse, & se-  
 cundum verbum in primo adventu, judicatum iri orbem in postremo.  
 Sumitur autem vox *Judicii* vel strictè pro condemnatione *Job. 5, 24, 29.*  
 vel generaliter pro toto actu & processu judiciario. Sic omnes sistemus  
 antè tribunal Christi, *Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, v. 10.*

**§. 17. JUDEX** est verustrinunus Deus *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*, *Judex*  
*omnis terræ, Gen. 18, 25. adde Ebr. 12, 27.* vi creationis & dominii universalis,  
*Speciatim autem exercebit judicium visibile Christus (ἀγῶν & inter-*  
*pres divinæ voluntatis) & quidè in assumptâ humanâ naturâ, ex potestate*  
*ei datâ, Job. 5, 22, 27. Act. 17, 31.* Constitutus enim ex principio incar-  
 nationis, novæq; creationis, reparationis, redemptionis, Rex & Dominus  
 omnium, accipit quoq; omnem *ἐξουσίαν* regiam, *Dan. 7, 14.* *Ministri Judicis*  
*summi*



summi, erunt Angeli boni, judicandos congregaturi, separaturi &c. *Matth. 24, 31. c. 13, 39. seqq.* Assesores erunt Apostoli & omnes sancti, judicaturi mundum veneratione, approbatione & celebratione judicii Christi, postquam ipsi publicè pro justis declarati fuerint à Domino, *1. Cor. 6. v. 2, 3. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30.* Q. hinc de thronis in quibus sedebunt, *an materiales sint futuri?* R. tales erunt, qualis thronus Christi, infinità tamen eminentià soli Christo reservatà, *Apos. 3, 21. Ebr. 3, 8.* JUDICANDI sunt Diaboli & omnes omninò homines, tam mortui resurrecturi, quam viventes immutandi, tam pii quam impii, *Juda. v. 6. 2. Pet. 2, 4. 2. Cor. 5. v. 10. Rom. 14. v. 10. Act. 10, 42.*

§. 18. *Forma* judicii consistet 1. in evidenti separatione justorum & impiorum per dextram & sinistram Christi, *Matth. 25, 32, 33.* 2. in exactissimà cognitione & patefactione operum singulorum omniumq; occultorum cordis, ad ostendendam hominù sive fidem sive incredulitatem, *d. l. adde 1. Cor. 4, 5. Rom. 2, 16.* Quod ipsum fiet per apertionem librorum, qui erunt omniscientia Dei, hominum conscientia & (cui inserti invenientur electi) liber vitæ Christus, *Apos. 20, 12.* Q. hinc, *an justorum peccata sint revelationi isti obnoxia?* R. Quæ tecta sunt & obducta merito Christi, eorum nulla amplius commemoratio fiet, præsertim coram infidelibus, vi Loci, *Ezech. 18, 21, 22.* Sed cum horum delictis minimis, maximis secus erit. Interim & sancti liberationem à commissis, in sese mirabuntur, Deiq; misericordiam prædicabunt. 3. in sententià definitivà absolutorià & condemnatorià. 4. in celerrima sententiæ dictæ nec in æternum retractandæ, executione sive ad vitam sive Gehennam. Quæ omnia ex professo describuntur, *Matth. 25. v. 1. seqq.* Norma judicandi est verbum Evangelij *Joh. 12, 48. Rom. 2, 16.* cujus compendium extat, *Matth. 16, 16.* FINIS & effectus ut resurrectionis sic & ipsius judicii extremi est beatitudo justorum & tribulatio malorum, quæ animam simul & corpus, ad demonstrationem justitiæ divinæ, *2. Thess. 1. v. 9. seqq. Rom. 2. &c.*

§. 19. IV. CONSUMMATIO seculi; ubi notetur I. *Causa destruens, Deus, seu facies ejus, Apos. 20, 11.* II. *Medium destructionis, Ignis, 2. Thess. 1, 7, 8. 2. Pet. 3, 7, 13.* Q. hinc *an iste futurus sit elementarum nos ne?* R. sufficiens erit ad perdendum mundum: qualis autem futurus sit, Deo relinquitur. III. *Subjectum, totus mundus, h. e. omnes creaturæ (rationis expertes) Psal. 102, 26. 27. Luc. 21, 23. 2. Pet. 3, 10.* Q. hinc, *an sit inter-*

R 2

rituræ



*vitæ mundus secundum substantiam, an innovandus duntaxat quoad  
 qualitates? & Interitum substantiæ docent loca, 2. Pet. 3. 10. Apoc. 20. 11.  
 c. 21. 1. usq; adeo ut nec locus sit relinquendus amplius. IV. Finis & effe-  
 ctus, qui est 1. liberatio creaturarum à servitute corruptionis Rom. 8, 27.  
 2. immediata Dei fruitio, s. ut Deus sit omnia in omnibus Apoc. 21. v. 22,  
 23. seqq. 1. Cor. 15, 28. adeoq; non per creaturas, sed per se ipsum bene-  
 facturus electis. 3. ut priventur domicilio suo, ( mundo adspectabili )  
 cui animo pariter & corpore adhæserunt, damnati, exitum ejusdem  
 cum horrore conspecturi, & frustrâ se in eo latibulum quasi visse, vi  
 justitiæ divinæ reapse experturi, Apoc. 6. v. 15, 16. & hinc ad terminum,  
 suum, infernum videl. infimum ( ad quem usq; ardebit succensus ab  
 irâ Dei ignis, Dent. 32, v. 22. ) præcipiendi.*

## DE INFERNŌ

**S. 10.** INFERNUS dictus *הַיָּם* à postulando, eò quod insa-  
 tiabilis sit, *Prov. 30, 15, 16. c. 27, 20.* Synonyma sunt *γέεννα* *Matth. 5, v. 22*  
 originaliter *גֵּי הַיָּם* à Loco propè Jerusale detestabili Thopheth, ceu  
 typo inferni, *Jer. 7, 31, 32. c. 19, 6.* item carcer, *τόπος βασάνης* *Luc. 16, 28.*  
*Matth. 5, 25, 26. 1. Pet. 3, 19.* & horum similia. Sumitur autem In-  
 fernus 1. in genere pro statu calamitatis, perditionis, destructionis, in  
 specie pro sepulchro, *Genes. 37, 32. c. 42, 38.* 2. pro horrendis tribulatio-  
 nib. infernalib. in hac vitâ, cum primis tentationib; de abiectione æter-  
 nâ, v. *g Ps. 116. v. 3. 1. Sam. 2. v. 6. Ps. 18. v. 5. Ue. 3.* (quod hujus loci est) pro  
 termino damnatorû, & sic notat tum supplicium & cruciatus infernales  
 tum locum simul eisdem destinatum, certum, *Luc. 16, 28.* Q. hic, *ubinam  
 sit infernus?* & Esse alicubi infernum, patet ex descriptionibus locum,  
 quendam vel *ἄλλο* aliquod determinatum inferentibus, veluti *Luc. 16.*  
*v. 23.* ubi conjunguntur *ἄδης καὶ βασάνοι*. Non esse autem locum in  
 mundo visibili corporeû, constat ex futuro mundi interitu. Unde etiam  
 iste certò definiti à nobis nequit. Erit alias à cœlo beatorum per iogens  
 chasma evidenter separatus, *Luc. 16, 26.* habens se ad illud, ut infimum  
 quoddâ ad summû. hinc cû addito vocatur *הַיָּם הַתַּיָּתוֹן* *הַיָּם* *Dent. 32, 22.*  
 Et hæc ratio est, ob quam per tenebras exteriores (in quibus ne mini-  
 ma alicujus lucis mixtura est) item per loca subterranea & infimas ter-  
 ræ partes adumbratur *Matth. 8, 12. Eph. 4. v. 9. Phil. 2, 10.* ipseq; abitus  
ad



ad infernum per descensionem describitur, v. g. *Jes. 5. 14.* sicut ex ad-  
verso introitus in cœlum, per ascensionem vel elevationem.

§. 20. CAUSA Inferni & poenarum infernalium in parando &  
infligendo Deus est, ad ostensionem suæ (justi judicis ac vindicis) ju-  
stitiæ. Sic à facie Domini & gloriâ roboris ejus cruciabuntur damna-  
ti, omni vi iræ in ipsos effusâ, *2. Thess. 1. 9.* Causa meritoria quâ homines,  
est omne peccatum non remissum propter incredulitatem finalem,  
*d. l. v. 8. Marc. 16. 16. Job. 3. v. 18, 19, Ebr. 10. v. 27.* uno verbo Rejectionis  
Christi, præpositis eidem operibus tenebrarû. Quâ Diabolos verò, à mo-  
saria prima, *2. Pet. 2. Judæ v. 6.* Et sic subjectum sunt Diaboli & homi-  
nes impij, increduli, damnati.

§. 21. POENA infernalis consistit in æternâ captivitate, à facie &  
vitâ Dei abjectione, separatione, in summis atq; inexplicabilib; tormen-  
tis & cruciatibus animæ pariter & corporis, quæ quod exsuperent homi-  
num cogitationes, variis eisq; tetricis emblematis in script. depin-  
guntur, cum primis per ignem & vermem, *Jes. 66. v. 24. Marc. 9, 44.*  
quibus inferuntur validissima tomentorum genera, & tribulationes  
horrificæ, corpora & spiritus indefinenter torturæ, juxta cum internis  
morsibus & afflictionibus conscientiæ vehementissimis. Hinc summa  
damnatorum impatientia, *Luc. 16. Apoc. 14, v. 10, 11. c. 16, v. 10, 11.* Cujus  
aliquis adumbratio est in calamitatibus hujus vitæ universis, exquisi-  
tissimis. Q. hic, *annè finem sint habituri cruciatus infernales?* N. ex lo-  
cis dictis, quibus adde *Matth. 3, 12. c. 25. v. 41, 46. 2. Num futuri sint*  
*infernalium cruciarum gradus?* A. vid. Disp. de peccato §. 2. Cœteras  
Quæstiones supervacuas missas facimus: cum satius sit exhorrescere  
& effugere, per gratiam Dei, futuram vitam & adspirare ad cœlestia,  
quàm curiosè *τὰ τὰ τῶν βασιλέων* perscrutari.

### DE VITA ÆTERNA.

§. 23. *וַיְחַיֵּה* Vita, in scripturis triplex proponitur, naturæ, gratiæ &  
gloriæ: illa communis est omnibus hominibus, ista solis renatis, *Gal*  
*2. 20.* Hæc non nisi electis Angelis & hominibus propria. *Matth. 25,*  
*Ebr. 12, 22. Ec.* Vocatur vita æterna, h. e. nunquam desitura; & sumitur  
partim generaliter, quatenus initium capit in terris, consistens in cogni-  
tione veri Dei, *Job. 17, v. 3.* vel strictè tum pro adæquato principio, fon-  
te, fundamento, comprehensione, quomodo Christus est *ζωὴ αἰώνιος;*



tum pro ipsa Dei & beatorum sede gloriosâ, simulq; gaudij & beatitudinis divinæ æternæ fruitione plenissimâ. Appellatur aliàs, regnum cœlorum, domus Patris, Jerusalem cœlestis, Paradisus, sinus Abraham, Tertium cœlum, habito respectu ad cœlum naturæ & gratiæ &c. Ad Questionem, *Ubinam sit cœlum istud?* Idem dicendum, pro ratione tamen contrariorû, quod suprâ de inferno. Esse enim cœlum quoq; beatorum, πῦρ quoddam, indicant descriptiones, cum primis *Job. 14, 2, 3.* ubi appellatur οὐρανός, habens mansiones multas, & in genere τῶν σφ.

§. 26. *Causa efficiens est unus verus Deus, Pater Filius & Spiritus S.* qui & ipsa vita æterna est, eandemq; confert homini ex merâ gratiâ (Hinc vocatur ζωὴ αἰώνιος, χάρισμα τῆς Θεῆς *Rom. 6.*) intuitu meriti Christi, seu causæ meritorix per fidem apprehensæ. *1. Job. 5, 11. Ebr. 8. v. 9. Job. 14. Job. 3, v. 13, 16.* Excluduntur hinc omnia opera & merita nostra, *Tit. 3.* &c. ubi tamen notandum, i. opera ex fide profecta, etsi non sunt causæ vitæ æternæ, esse tamen conditionem in beandis necessariam, sine quâ (puta, sanctimoniâ) nemo Deum videbit, *Ebr. 12.* addendum quod negatis fructibus justitiæ, ponantur opera iniquitatis, merentia, exclusionem à regno Dei & Christi. 2. esse exercitium bonorum operum argumentum demonstrativum, quo notificabitur, maxime in die censorio, quinam fideles adeoq; benedicti, qui infideles sicq; maledicti sint *Matth. 25.* 3. quamquam non dat Deus vitam æternam propter opera, eundem tamen ex gratiâ distributurum præmia beatitudinis cui libet secundum opera & juxtâ passiones in fide Jesu Christi exantlatas (majores, minores) *2. Cor. 4. v. 17. Gal. 6, 7. 8. 1. Thess. 15.* Hinc patet resolutio *Q. an sint futuri gradus præmiorum?* A. non ratione ipsius æternæ vitæ omnibus æqualis futuræ, quâ essentiam, sed ratione gloriæ & splendoris majoris, minoris in c. *1. Cor. 15. 41.* ubi gradus non variant speciem.

§. 25. *Consistit vita æterna* (itâ enim Deus nobis eam proponit ut quodammodò cognoscamus, ad desiderandum, quod comprehendere non valemus) in beatificâ Dei visione, quæ non erit nudè speculativa, sed maxime practica, h. e. vera ac realis Dei, omnisq; in eo & per eum gaudij ac beatitudinis plenissimus sensus & perceptio omnimoda, ad explendû perfectissimè desiderîum humanû. Hic *Q. an visuri sint beati Deum secundum essentiam oculis an animi quàm corporis?* A. ex *1. Joh. 19, 1. Joh. 3, v. 2. 1. Cor. 13, v. 12.* 2. *an semetipso sint agnitiuri?* Aff. ex collatione cum statu integritatis *Gen. 2.* & certo quodam beatitudinis cœlestis paradigmate



ignate *Matth. 17. 3.* an sint futura in celo voluptates corporeæ? N. ex *Rom. 14. 17.* Deus ibi erit omnia in omnibus Q. 4. nam gaudio sanctorum quicquam decessurū sit ex eo, quod videbunt propinquos suos adiudicatos æternæ morti? N. ex *Jes. 66. v. pen.* Ratio quis voluntas electorum, per omnia conformis est voluntati perficientis eos Dei. Cœtera quæ dicenda de beatitudine vitæ æternæ, cum oculus ea non viderit, nec auris audierit nec illa in cor hominis adscenderint, *1. Cor. 2. v. 9.* convertimus in pium desiderium, concludentes cum voto. Fac nos sanctissime Deus quales habere vis in æternum, & quos fecisti vasa misericordiæ ad tuam gloriam destinata, conserva ab inquinamentis mundi, per & propter unicum mediatorem nostrum Jesum Christum, in Spiritu Sancto. Ostende nobis, adoranda ô TRINITAS, faciem tuam, & sufficit nobis.

## COROLLARIA, sub finem Exercitij hujus

Theologici addita, practica

### De CHARITATE CHRISTIANA.

I. Tria sunt, quibus totus absolvitur Christianismus, Fides, Spes Charitas, sed maxima in his charitas. Hæc cessante Fide & Spe, non abolebitur in alterâ vitâ, sed erit ibidem, in summo gradu, perfectissima.

II. Non futura est charitas illi in æternitate, cui non fuit in tempore, & qui hæc eadem caret, ut ut aliâ præstantissimis donis sit instructus, nihil est *1. Cor. 13.*

III. OBIECTUM Charitatis Christianæ est Deus & propter Deum proximus. In Deum charitas fundamentum est charitatis in proximum, & hæc illius documentum *1. Job. 4.* Novine proximi veniunt omnes homines boni & mali, amici & inimici, maxime sancti omnes, quos spiritus Dei fide in Christum purificatos separatâ colluvie mundi, & separatos coire facit in communionem cū Christo, ad constituendam unam in mundo Ecclesiam. Et sic in omnes sanctos fertur, intimo spiritus complexu, Charitas Christiana, etiam in corpore absentes & carnè ignotos; cum omnes sibi invicem sint præsentés spiritu, omnes noti & dilecti in Domino. Unde etiam singulorum est, omnibus in universum (si non aliâ ratione) precibus indefinenter succurrere.

IV. FUNDAMENTUM est communis fides ad Dominum Jesum, quam omnes sancti æqualiter pretiosam sortiti, communionem habeant inter se, quæ est communio cum Deo patre & filio ejus. Sub hæc omnes sumus *ovæqz*, laborantes in uno templo; omnes commilitones, mili-

120.



tantes sub uno duce contra hostes communes; omnes invicem Fratres, habentes unum Patrem Deum, unam Matrem Ecclesiam, unum Caput Christum, cujus omnes sumus membra, & qui primogenitus est in multis fratribus.

V. In hac fraternitate spirituali alter alterius particeps est, alter alterum æstimat tanquam seipsum & sui ipsius ( *συνάγωγα* ) viscera, manulq; pati quidvis, quam vel uni sanctorum innocenti adversari.

VI. Nos hanc vice pro verâ charitate Christianâ, quasdam Regulas easq; præcipuas ex Epistolâ ad *Philemonem* ( qui à charitate nomen habet ) ante hac publicè explicatâ, subjungemus.

CHARITATIS Christianæ est (1.) duci continuâ sanctorum memoria per Spiritum Christi, qui unus est in omnibus *v. 4. (1.)* Charitate fratrum & omni bono, quod in ipsis esse videmus & audimus, summo perè gaudere, *v. 7. (3.)* Orare pro sanctis, ut in fide crescant, *vers. 3, 6, 25.*

4. Etsi communitio fidelium *παρρησία* tribuit præcipiendi alicui, quod decet; charitatis tamen est, hortari magis & obsecrare *v. 8, 9.*

5. Eiusdem est, esse bonâ, quâ sanctos, confidentiâ, & optinè de illis eorumq; fidelitate sperare. *ibid. adde v. 21.*

6. Reddere ex irrogenito regentum, ex inutili utilem ( *Onesimū* ) *v. 10, 11.*

7. Charitas Christiana alterum alterius ministrum facit.

8. Non agit quicquam sine sententiâ & voluntate alterius sancti, cujus quid interest, nedum contra voluntatem ejus. *v. 14.*

9. Bonum ex charitate profectum non est animi inviti, sed à spiritu spontaneo moti, *ibid.*

10. Charitatis est ad proximum remittere, quod ipsis est. *v. 12. seq.*

11. Nomine alterius omnem operam dare, ut is qui alium offendit cum offenso reconcilietur & in gratiam redeat.

12. Ei, à quo fortè ad horam secessimus, factâ reconciliatione in perpetuum adhærescere. *v. 15.*

13. Charitas Christ. ultra naturæ debitum altiùs ascendit, faciens ut alter altero fruatur in Domino, *v. 16, 20.*

14. Charitatis est, se pro alio substituere, *v. 17, 18, 19.*

15. Veræ charit. est, non exteriora solum sed viscera sanctorum reapse refocillare, *v. 7, 20.*

16. Charitas Christ. non ex carne sed à Deo est.

SOLI DEO GLORIA.





**Q**uam varius labor est omni. Mors omnia solvit;  
Quam vanus mundi splendor. Lux ultima finit.  
Quantus in orbe furor reprobis, Et Pœna sit ORCUS.  
Quam multus dolor est sanctis. Si at VITA BEATA,  
Hos sibi spectandos sumis prudentia fines.

De eisdem (Novissimis) disserturo Domino  
Respondenti gratul.

PRÆSES

AD LECTOREM.

**H**AS TENUIT CUM LAUDE THESES,  
VICTORQUE RECESSIT,  
DETHARDINGIADES, FLOS JUVENUM.  
QUE DECUS.

scrib.

Samuel Theodori, Eiderstada  
Holsar:

Ad Eximium & Præstantissimum Dominum  
Respondentem de Novissimis disputaturum, Con-  
terraneum & Amicum suum pl. dilectum.

**C**onscendens Cathedram Doctorum disseris aptè,  
Atq. tuè re datas non sine laude theses:  
Hinc tibi consurgunt solida præconia laudis,  
Hinc veniet Patria gloria magna tua.  
Talpa velut solem fastidit, nocturna lucem,  
Sic virtus pigros odit honora viros:  
Ergo Deo dilecte, sacer Musisq. perennes  
Tantum agito toto lætitijs animo.

Perge



Perge bonis a vobis ceptam contexere telam  
Laudis, & ingenium sedulitate fore,  
Ardua Parnassi superans ut cymina monti,  
Ætherio fias sidere fulgidior,  
Sic poteris, JOVÆ sanctum adjut ante laborem,  
Utili esse tuis, utili esse DEO.

Gratulationis & debiti affectus contestandi causa  
apponere volui

Hartmannus Koch/ Neofan. Dithm̄  
Philos. Stud.


**H**ENRICE, suavis lac sapientix,  
A fonte lucis mella scientix  
Qui crederis luxisse castus,  
Et niveum pietatis uber,  
Sic est, propinquant, NOVISSIMA,  
Jama jamq; scisto prospiciunt polo,  
Unguenta, ludos dum vocamus,  
Dum thalamos, cytharam, puellas;  
Ad sunt; rosetum nobile Massicum  
Ramis, arenti, sub patulis crepant  
Dum fauce lurcones gulosi,  
Dumq; secant, vehiunt, tobacum?  
Et quantus, cheu! tunc tremor impiis;  
Tunc fiet orbis quanta Catastrophe.  
MORS, ORCUS, IGNIS quot malorum  
Agmina, quot spolia ampla habebunt.  
Felix at, alto pectore qui coquit  
Tecum hæc, supremi qui obsequio DEI  
Sortem suam submittit ultro  
Hic vitii est scelerisq; purus.

Hicce pauci Dno. Respondenti amico & conterraneo,  
suo multum dilecto gratulari ut debuit, sic voluit.

Jacobus Sigbertus, Tonningâ Holsa.

— ( o ) —











gmate Matob. 17. 3. an sint future in celo volup  
Rom. 14, 17. Deus ibi erit omnia in omnibus Q  
Eorum quicquam decessurā sis ex eo, quod vidabunt pe  
tatoe aternae morti? N. ex Jes. 66. v. pen. Ratio quia  
per omnia conformis est voluntati perficientis eos  
cenda de beatitudine vitæ aeternæ, cum oculus ea  
audierit nec illa in cor hominis adscenderint, 1. Cor. a  
pium desiderium, concludentes cum voto. Fac  
quales habere vis in aeternum, & quos fecisti vasa m  
gloriam destinata, conserva ab inquinamentis mu  
unicum mediatorem nostrum Jesum Christum,  
Ostende nobis, adoranda ô TRINITAS, faciem tu


COROLLARIA, sub finem Exer  
Theologici addita, practica  
De CHARITATE CHRISTI

I. Tria sunt, quibus totus absolvitur Christiana  
Charitas, sed maxima in his charitas. Hæc cessante  
abolebitur in alterâ vitâ, sed erit ibidem, in summo g

II. Non futura est charitas illi in aeternitate, cui  
re, & qui hîc eadē caret, ut ut aliâs præstantissimis  
nihil est 1. Cor. 13.

III. OBJECTUM Charitatis Christianæ est De  
proximus. In Deum charitas fundamentum est chari  
& hæc illius documentum 1. Job. 4. Nomine proxi  
homines boni & mali, amici & inimici, maximè san  
ritus Dei fide in Christum purificatos separat à collu  
ratos coire facit in communionem cū Christo, ad cor  
in mundo Ecclesiam. Et sic in omnes sanctos fer  
complexu, Charitas Christiana, etiam in corpore absen  
tos; cum omnes sibi invicem sint præsentēs spiritu, c  
cti in Domino. Unde etiam singulorum est, omniu  
non aliâ ratione) precibus indefinenter succurrere.

IV. FUNDAMENTUM est communis fides ad  
quam omnes sancti æqualiter pretiosam sortiti, com  
inter se, quæ est communio cum Deo patre & filio ejus  
sumus *cooperari*, laborantes in uno templo; omnes cor



N. ex  
san  
judi  
rum  
æ di  
auris  
us in  
Deus  
tuam  
ter  
cto  
obis.

4.5  
5.0  
5.6  
6.3  
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9  
um  
am,  
nes  
spi  
pa  
am  
tus  
no  
de  
(si  
m,  
at  
ces  
li  
D.